



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

*FRANCISCO S.R.E. CARDINALI RODÉ, C.M.,
PRAEFECTO OLIM CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET
SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE*

Venerabili Fratri Nostro

Francisco S.R.E. Cardinali Rodé, C.M.,

*Praefecto olim Congregationis pro Institutis vitae consecratae
et Societatibus vitae apostolicae*

Labacensis ecclesialis communitas, quam imperator Fridericus III die VI mensis Decembris anno MCDLXI condidit quamque Decessor Noster Pius II, rec. mem., die VI mensis Septembris anno MCDLXII confirmavit, sollemni modo DL anniversariam honorat suae foundationis memoriam. Dilecti istius gregis fideles, sacrorum Antistite et sacerdotibus diligenter moderantibus, hunc eventum recolentes *Annum iubilarem* celebrant, Domini vocem attente auscultare conantur eiusque voluntatem studiose adimplere. Multa revera ibi pastoralia perficiuntur incepta quae Archiepiscopus Metropolita Labacensis, Venerabilis Frater Antonius Stres, C.M., fidelibus proposuit cunctisque hominibus bonae voluntatis ut omnes in diuturna huius gregis historia Domini largitatem clare mirari possent atque incitamentum invenire ad renovatam fidei vitam sub Christi lumine assidue sequendam.

Novimus quidem hunc *Annum iubilarem*, qui die VI mensis Decembris praeterito anno in cathedrali aede Labacensi est initiatus, die IX mensis Decembris huius anni in eodem praeclaro templo sollemni celebratione eucharistica conclusum iri.

Hanc ob rem memoratus sacer Praesul Labacensis humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices illo die gereret Nostramque erga istum gregem

dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui, Sloveniae praestantissimus filius, olim hanc ecclesiam moderatus, priusquam pergrave munus Praefecti Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae exerceret, mentem Nostram vertimus. Idcirco Te hisce Litteris Missum extraordinarium nostrum nominamus ad sollemnem celebrationem quae die IX proximi mensis Decembris Labacensi in urbe agetur quaque *Annus iubilare* concludetur, ad honorandos DL annos fundationis ecclesialis communitatis Labacensis proclamatus.

Sollemni praesidebis Eucharistiae atque Archiepiscopum Metropolitanam aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiore etiam, hoc *Anno Fidei* a Nobis Ipsi inchoato, inquisitionem veritatis, boni et pulchritudinis in cotidiana vita cohortaberis. Optamus etiam ut, de diviti historia gregis Labacensis loquens, praecipua elementa novae evangelizationis significes continuitatem atque perenne Domini verborum pondus clare demonstrans.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Novembris, anno MMXII, Pontificatus Nostrae octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright 2012 - Libreria Editrice Vaticana